



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Q. SEPTIMII|| FLORENTIS|| TERTVLLIANI||  
CARTHAGINIENSIS|| PRESBYTERI, OPERA|| QVÆ  
HACTENVS REPERIRI|| POTVERVNT OMNIA:||**

**Tertullianus, Quintus Septimius Florens**

**Antverpiae, 1584**

Sodoma.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73633](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73633)

ADNOTATIONES IACOBI PAMELII  
IN GENESIN.

## CAP. I.

1. Et volucres varias suspendunt aëre pennas, &c.] Retinimus hanc castigationem pro cōiectura Cauchij, ex editione priorī inter Opera B. Cypriani, pro: corpore.

## CAP. II.

2. Quem postquā effigie formatum, ceu sua, vidit, &c.] Inter cetera id est Tertullianicum, quod litteram a. in Ablatiuū, sicut hic in voce sua, corripit.

3. Praefinus huic nomen, illi est carbunculus ardens, &c.] Vel hinc patet eiusdem esse Auctoris hunc librum cum precedenti, quippe ubi legitur, quum de Paradiso, sicut hic agit, cap. 8.

Inde nitet Praefinus, illinc carbunculus ardet. Atqui utrobique sequitur aditionem 1xx. Gen. 2. apud quos commemoratur inueniri carbunculus, Græcè καρβύκλις, & lapis Praefinus, Græcè ὁ λίθος ὁ σφειρόεις. Pro quibus ex Hebræo & Chaldeo transtulit B. Hieron. Bdellium, & lapidem Onychinum.

## CAP. III.

4. infucto munus deferre marito, &c.] Sic iterum legimus, pro: infuctum; quod cum Cauchio castigaueramus, & sicut inter opera B. Cypriani: tum sola morfu Mandere, pro: Pandere. Est autem rursus Tertullianicum illud intermediū: Quis poma dedit noxalia vobis?

5. Carduus & spinis multum paliurus acutis, &c.] Hoc quoque est Vergilianum Eclog. 5. Est vero etiam rursus paliurus Plinio lib. 24. cap. 13.

## CAP. IIIII.

6. Elidit geminis frangens pia guttura palnis, &c.] Emendauimus ex coniectura: frangens, pro: fraudans, & mox iuxta Morellum: caelo speculatus ab alto, pro: celso.

7. Torpidus ut multo collidens membra tremore, &c.] Sicuti etiam nuper adnotauimus, quum prorsus mutilus sit finis huius carminis, apparet cetera quoque Genesios capita ad euerfionem usque Sodoma ab Auctore conuersa.

ARGUMENTVM IACOBI PAMELII  
IN SODOMAM.

**P**VLCRE & latè integram historiam euerfionis Sodomaè prosequitur. Ceterum sicuti supra quoque dictum est, præter quam quòd Sixtus Senensis nominatim adscribat hunc librum Tertulliano, etiam phraeiseis quedam & loci plures sunt Tertullianici, sicuti infra adnotauimus.

Q. SEPTIMII FLORENTIS  
TERTVLLIANI CARTHAGINIENSIS  
PRESBYTERI SODOMA.

AM Deus omnipotens primævi tempora secli,  
Vindice diluio, cunctis aboleuerat vndis,  
Quas cælum sparfit terræ, maris exspuit æquor;  
Hactenus, haud liquido pœnas decernere pactus  
Excidio, quoties hiemes induceret aër,  
Frenandis varium pluuiis mandauerat arcum,  
Purpureo & viridi signantem nubila limbo.

Iridis huic nomen, propria est quæ sibula nimbis.  
[ Sed recidiua hominum pariter cum gente secunda

Impietas, iterumque mali noua pullulat atas,  
Excidio iam non imbres sortita, sed ignes.

Sic Sodomum meruit tellus ardentibus vri

Flammis, & finis portendere signa futuri.

Efferat luxuries illic, inimica pudoris,

Instar legis erat, fugeret quam præsciis hospes;

Antè vel ad Scythicas, vel apud Bufiridis aras

ZZz

CAP. I.  
Gen. 7.CAP. II.  
Gen. 18.

Exoptans per sacra necem, cæsisque cruorem  
 Funderè Bebrycium, & Libycas satiare palæstras;  
 Antèque vel Circaæ novas per pocula formas  
 Sumere, quàm læsum Sodomis amittere sexum.  
 Pulsabant cœlum inuidia, connubia mixta  
 Incestu parili, generis natura rebellis

In sese, læsumque viri cum corpore nomen.  
 Tempore sed certo Deus omnia perspeculatus,  
 Iudicat in iustos patiens, vbi criminis ætas,  
 Cessandi spatium vis nulla coegerit iræ.

Gen. 19.

Iam quod dies vltrix aderat; duo de grege missi  
 Angelico, forma iuuenes, qui spiritus ambo  
 Diua ministerio Domini mandata ferebant,  
 Succedunt Sodomis; illic de stirpe piorum  
 Transuena Loth aderat, sapiens, iustique colonus,  
 Vnus erat, meminisse Deum; solet utilis arbor  
 In siluis latitare feris velut, hospita fructu.

Is tunc pro porta residens (vix mœnia adibat  
 Cœlicola) quamquam diuinos nescius, vltro  
 Aduocat, appellat, patrio veneratur honore,  
 Hospitiòque vocat, longè stabulare parantes;  
 Eniùs Regis precibus, pia pignora mensa  
 Officiisque probis studio dispungit amicos.

Nox requiem dederat, lux soluerat altera noctem,  
 Et Sodoma in foribus strepitat conquesta rudendum.  
 Loth contrà supplex: Ne vos nunc pacta libido  
 Incendat, iuuenes, ipsam scèdare iuuentam;

Quo luxur genitura vocat: quo semina frustra?  
 Quo nulla nuptant animæ; non iustra colentes,  
 Non stabulis reduces, non vndis subter hiantes,  
 Nec quæ pennarum modulis propè nubila pendent,  
 Nec quæ per terram protracto corpore manant.

Omne genus, luxu genus est; sed foemina coniux  
 Omnibus, & numquam cuiquam nisi foemina mater.  
 Nunc si fas iuuenilis habet vastare pudorem,  
 Sunt intus nata biiuges mihi, nubilis ætas,  
 Virginitas in flore tumet, iam dedita messi,

Digna cupido viris, tulerit quam vestra voluptas;  
 Cedo pater, próque hospitibus pensabo dolorem.  
 Vulgus ad hæc demens: Quisnam tu, quantus, & vnde?

Transuena, corrector Sodomorum? duplicat iras:  
 Nunc igitur tute ipse lues, quod nostra cupido est,  
 Prohatis, próque hospitibus; satis vnus in omnes.

Dicta & facta simul; vulgi mora nulla furentis.  
 Turbidus hiberno vt dum voluit impete torrens,  
 Riuorum numeros vno pede fertur in omnes;

Si qua illic arbor rapidis offenditur vndis,  
 Haud mansura diu; quantum radice licebit  
 Crinitas durare moras, vbi subter adefam  
 Perdit humum circumfosso cum caudice pendens,  
 Huc illuc certam differt incerta ruinam;

Haud aliter Loth in media vertigine vulgi,  
 Nutabat vinci propè iam; sed diua potestas  
 Subuenit, angelici iuuenes de limine raptum  
 Restituunt tectis; demens sed vulgus ibidem

Pœnarum

TERTULLIAN  
 Cum Annotationibus  
 PAMELII  
 A. V.  
 16.

A  
Pœnarum auspiciis multatur lumine diro,  
[ Tunc decreta Dei referant, dignam adfore pœnam  
De cœlo Sodomis; ipsum meruisse salutem  
Iustitiæ titulo. Quin ergo accingeris isthinc  
Festinare fugam, pariterque educere si quid  
Gentis habes? nos exitium iam inducimus vrbi.  
Loth generos citus adloquitur; secula dura hominum mens  
Credere despexit monitum, risitque timorem.

Tempore mox quo lux tenebras conscendere tentat,  
Et bicolor cœli facies de nocte dièque est,  
Instabant iuvenes Chaldæam educere gentem  
Ex Sodomis, iustamque domum donare saluti:  
Eia age Loth, exsurge, tuamque adsume iugalem,  
Et natas duplices, atque hinc exterminus esto,  
Præueniens Sodomum pœnas (manibus quoque amicis  
Producunt trepidos) atque hæc tibi cetera mando;  
Serua Loth animam, ne visum in terga retrorsum  
Vertere fortè velis, cœptum vel sistere gressum;

B  
In montem proptra. Timuit Loth ardua tardo  
Ereptare gradu, cœlestes ne prius iræ  
Opprimerent; alios igitur deposcere portus  
Adgreditur, paruam quam contra aspexerat urbem.  
Huc, inquit, contendo fugas; vix incenibus exstat,  
Nec longè, nec magna. Illi fauere petenti,  
Vrbis & ipsius pariter gessere salutem.

Inde Segor vico nomen vox barbara nouit.  
Tunc Loth ingreditur Segor, simul exoritur sol,  
Vltimus ille quidem, in Sodomamque incendia feruens  
Infert, nam totos radios armauerat igni;

Æmula subsequitur caligo & includere lucem  
Cœptans, atque globos confuso intexere cœlo;  
Fumantes coeunt nubes, nouus irruit imber,  
Sulphura cum flammis flagrantibus æstuat æther,  
Exustus crepitat liquidis ardoribus æther.

Hinc habet in falso de vero fabula famam,  
Solis progeniem currus optasse paternos,  
Nec valuisse leuem puerum frenare superbos

C  
Ignis equos, arsisse orbem; tunc fulmine raptum  
Aurigam; illicitum planctum mutasse forores.

Viderit Eridanus, si qua illic populus albet,  
Aut si quis plumat senio modulator ales.  
Hic aliter versæ mœrent miracula formæ.

Namque comes coniux, heu me, malè tum quoque legis  
Fœminæ non patiens, diuina ad murmura cœli

Audaces oculos nequicquam sola retorfit,  
Nec habitura loqui quod viderit, & simul illic

In fragilem mutata salem, stetit ipsa sepulcrum,  
Ipsaque imago sibi formam sine corpore seruans.

Durat adhuc etenim nuda statione sub æthram,  
Nec pluuiis dilapsa situ, nec diruta ventis.

Quinetiam si quis mutilauerit aduena formam,  
Protinus ex sese suggestu vulnera complet.

Dicitur & viuens alio iam corpore, sexus  
Munificos solito dispungere sanguine menses.

[ Nusquam sunt Sodomi, nusquam illorum impia lucent  
Mœnia; cum dominis domus omnis inops ita nusquam;

Tota rogos regio est, hinc atro horrore fauilla,  
 Hincque seu cano cineres incendi signant.  
 7 Occidit illa prior feritas, quam prospiciens Loth.  
 Nullus atq; frustra piceas fuligine glebas.  
 Semiperempta etiam si qua illic iugera, lætas  
 8 Autumni conantur opes, facile optima sese  
 Promittunt oculis, pira, perfica, & omnia mala,  
 Donec carpuntur; nam protinus indice tactum  
 Soluitur in cinerem, fit vana fauillaque pomum.  
 Sic igitur cælo pariter terraque sepultis,  
 Nec mare viuit ibi, mors est maris illa quieti,  
 9 Quod nullus animat per anghela volumina fluctus;  
 Quodque etiam patrio numquam suspirat ab austro,  
 Quodque nequit proferre aliquam de gurgite gentem  
 Squamigeram, læuive cuti vel cortice septam,  
 Vel crispam concham, aut duplici compagine clausam.  
 10 Solum illic propria mentitur fruge bitumen,  
 Exusti fuligo maris; quod viuudus ardor  
 Subter stagna coquens, de sulphuris & salis estu  
 Temperat, inque picem dat terræ hæere marinam.  
 Inuehitur proprio cum tempore pingue crematæ  
 Virus aquæ, spumisque cutis super æquora nigra  
 Texitur; appellunt queis est ea captio mercis;  
 Adclinant leues laterum libramine lembos,  
 Vt semel impostam doceant conscendere venam.  
 Nam se spontè leuans adnabit mercis ad ora  
 Nauigij, præciumque dabit pro munere largo,  
 Ni plaga contigerit, quam mensis fœmina vestit.  
 11 Ecce aliud monstrum pelagi de clade notatur;  
 Cuncta illic immissa natant; natura recessit  
 Mergendis nata corporibus; si denique restæ  
 Luciferam natem insitens, qua spiritus igni est,  
 12 Velificauit apex, flammæ si flamma perempta est,  
 Ibi subter aquas destructio naufraga lucis.  
 Hæ Sodomum & Gomorum signatæ in sæculâ pœnæ,  
 Gentibus iniustis, queis pectora dura timorem  
 Deseruere Dei, de cælo iura tueri,  
 Inque vnum rerum Dominum spectare docebunt.

ADNOTATIONES IACOBI PAMELII  
 IN SODOMAM.

CAP. I.

1. Vindice diluuiæ &c. ] Sic castigauimus ex Morelio, pro: Iudice, & paulopost: non imbres sortita, sed ignes, pro: imbrem.

CAP. II.

2. ardentibus vti flammis, &c. ] Id retinimus pro: facibus, aut quod coniciebat Cauchius legendum, fascibus, ibi verò: vbi criminis ætas, videtur deesse versus aliquis.

3. Transit na Loth aderat, &c. ] Transuena & hic & paulopost vox Tertullianica, pro: Aduena. Est & Grecismus etiam illi v'status non semel. Nus erat meminisse Deum; item: conquesta rudendum;

sic enim lego cum Morelio, pro: rudendo, item: pœta libido; & ibi: Quo luxur genitura, pro: generatio. Sive autem legas: Cedo patet, sine: Dedit, pro: inde est.

CAP. III.

4. includere lucem Cæptans, &c. ] Sic castigauimus ex Morelio.

5. Hinc habet in falso & vero fabula famam, &c. ] Pulcre rationem reddit fabula Pœtice de Phœtonis in Eridano lapsu; quo fit ut castigauerimus: de vero, pro: verbo, & viderit Eridanus, pro: videris heu dirum. Nam non modò B. Cyprianus, sed etiam tum Tertulliano est v'statissima vox: viderit. Emendatum

TERTULLIANI  
 Cum Annotationibus  
 PAMELII.  
 A. V.  
 16.

dauius etiam ex Morelio : heu me, malè tum quoque legis Iæmina non patiens, pro : heu lethum, metrique legis.

6. Durat adhuc etenim nuda statione\* sub æthram, &c. ] Hoc memorari dignum, quòd sua adhuc etate statuat illam, salis, in quam uxor Loth conuersa est, durasse scribat; & si quis eam mutilauerit, statim vulnera denus compleri, & in singulos menses menstrua pati. Hoc est enim quòd phrasi Tertullianica dicitur (non modò Cypriana) dispungere (quòd prorsus legimus, pro: depungere) sanguine menses. Est etiam vox Tertullianica: fuggestiu paulo antè.

CAP. IIII.

7. Occidit illa prior feritas, quam prospiciens Loth, &c. ] Obscurus versus, ubi si feritas pro fertilitate accipiat ratione carminis, constabit sensus; uti feritas à ferendo dicitur; vox eo significatu nunc obsoleta.

8. Autumni conantur opes, &c. ] Etiam istud Tertullianicum esse, supra alicubi à Apologético adnotauimus. Emendauimus uerò: optima sece Promittunt oculis, ex Morelio, pro: esse se opima, item: & omnia mala; pro: mella, ut accipiat pro omni pomorum seu fructuum genere; & : indice tactum, pro: tactu.

9. Quod nullus animat per anghela volumina

fluctus, &c. ] Sic etiam ex Morelio, pro eo quòd substituerat Fabricius tanquam elegantius: Idque animat nullus. nam ut si in fine dictionis producat, etiam Tertulliano libris præcedentibus usitatum est. Similiter emendauimus: Quòdque nequit, pro: cauet.

10. Solum illic propria mentitur fruge bitumen, &c. ] De bitumine ex lacu Asphaltite, uide Iosephum lib. de bello Iudaico cap. 5. Legimus etiam cum Morelio: cremata Virus aqua, pro: crematum. Magis etiam placet:

Ut semel impositam doceant conscendere uenam, quam: imposita, &c. uena. Maluimus etiam legere: adnabit mercis ad ora Nauigij, quam: inertis ad ora Nauigij. Hoc enim significat mercem bituminis ita adhaerere nauigijs, ut solui non possit nisi mestrino famineo, sicut etiam restatur Iosephus loco citato.

11. Ecce aliud monstrum, &c. ] Aliud miraculum narrat, quòd cuncta illic immerfa natant.

12. Velificauit apex, &c. ] Cauchius censet legendum: uelificabit. sed aquò obscurum est quid sibi uelit Auctor. Atqui etiam hic phrasi est Tertullianica; Haud aliter enim dixit supra Tom. 3. lib. aduers. Gnost. cap. 1. de Scorpio loquens: Austro & Africo sauitia uelificat. Nam pro uela facere utrobique dicit: uelificare. Denique iuxta Morelium legimus: peccata dura, pro: corpora.

ARGVMENTVM LIBRI AD SENATOREM,  
EX CHRISTIANA RELIGIONE AD IDOLORVM  
seruitutem conuersum, per Iacobum Pamelium.

**S**ENATOREM grauitè increpat, quòd antea Christianus & Consul, Isis seu Matris Deum sacerdos fieri non sit ueritus; hortatur itaque ut saltem in senectute respiciat. Porro quum etiam hic quædam sint Tertullianica, ego illi adscribere malui quam B. Cypriano.

Q. SEPTIMII FLORENTIS  
TERTVLLIANI CARTHAGINIENSIS  
PRESBYTERI AD SENATOREM EX CHRISTIANA  
religione ad Idolorum seruitutem conuersum.



QVVM te diuersis iterum uariisque uiderem  
Inseruire sacris, priscoque errore teneri;  
Obstipui monitus; quia carmina semper amasti,  
Carmine respondens, properaui scribere versus;  
Ut te corripere, tenebras præponere luci.  
Quis patiat enim, te Matrem credere magnam  
Possè Deam dici, rursusque putare colendam,  
Cuius cultores infamia turpis inurit;

CAP. I.